

Comiti Everso auxilium prebuere. deinde hortante ponti-
fice / Prosper Cardinalis Martini quinti Romani quon-
dam sapientissimi et felicissimi pape nepos. eius gentis ho-
noratissimus et litterarum studio late clarus: cognitionem
suam bello subtraxit. Inter Ursinos et Eversum usque hodie
impacate durant inimicitie. Latinus sanctorum Johannis
et Pauli Cardinalis illustris Ursinorum familie princeps.
depreffimo vir ingenio / iuris scientia. et animo qui alta cu-
ret: parua despiciat in signis / ex urbe profectus ad oppida
sua concessit: tanquam Rome non se satis tutus existimaret
sive comitis insidias veritus. sive pontificis indignatione
comotus: nec reuocatus in hanc usque diem reuerti voluit.
Calixto inter omnes Cardinales duo ad hoc usque tempus
in primis auditi atque accepti fuerunt. Wilhelmus Rotho-
magensis ameno ingenio et sanguinis clarus: ac Petrus
sancti Marci Eugeni quarti nepos patricia apud Venetos
gente natus / et industria potens: sive quod eorum consiliis mul-
tum inesse crederet: sive quod alterum Francie Regnum / alte-
rum Venetorum rem pub. ducere posse arbitratus est. Sy-
monem Romanum philosophie studiis et arte medica excel-
lentem adeo dilexit / ut fratrem eius Jacobum Episcopum
feretranum quanquam virtute prestantem sua potissimum conside-
ratione rubeo galero donauerit. In audiendis legationibus
privatorumque hominum causis antecessorum suorum facilitatem
longe superauit: epistolas et Regibus et amicis per se ipsum
dictavit. In signandis supplicationibus libens et hilaris tem-
pus absumpsit. de iure interrogatus per cupide respondit:
leges et canones tam ei fuerunt in promptu. quam si heri aut
nudius tertius scolam iuris primum exiisset: nihil enim me-
moriam sua excidit / quod retinendum existimauit. Ceterum
nulla facultas ei iuris cognitione potior visa est / in qua ipse
ita excellit ut suorum predecessorum. qui sibi possit equari: